

facere, vel dicere, vel sentire, ex quo ad contemptum, aut negligentiam divini iudicii mens humana formabitur.

Sit autem in Ecclesiastico ordine, etiam de peccatorum supplicis fides, & de iis qui premia bonae conversationis & vitae in regno Domini iusto ejus iudicio recepturi sunt.

Si quis ergo horum aliquid quae supra exposuimus commutare vel subvertere conatur, velut perverfus & a semetipso damnatus secundum sententiam Apostoli, etiam a nobis praecipue obsequentibus ejus, similiter habendus est.

Designat autem Ecclesiasticum virum, cum omnibus quae supra exposuimus, etiam de mortuorum resurrectione fides: de qua sanctus Apostolus Paulus ita pronunciat: Quia si quis negat resurrectionem mortuorum, consequens est ut Christi resurrectionem neget. Habentur nihilominus in Ecclesiastico ordine etiam de diabolo rationes & de omni exercitio ejus, quod agones quosdam & certamina adversus omnes homines, praecipue tamen adversus eos qui credunt in Christum Dominum Jesum movent: & quod necessitatem quidem imponere peccandi per agones & certamina non valent: persuadere tamen & decipere ad subversionem possunt, eos qui non omni custodia sua corda praemuniant.

Abandum est autem in Ecclesiasticis observationibus, quod neque hominum quis a Deo in perditionem traditus est: sed unusquisque pereuntium sua negligentia percat & culpa: qui habens arbitrii libertatem eligere quod bonum est, & potuit & debuit. Quod etiam de ipso diabolo sentiendum est: qui in conspectu Domini omnipotentis describitur restitisse & deseruisse statum suum, in quo fuerat immaculatus. Qui utique potuisset in hoc statu, in quo ab initio fuit, usque in finem perseverare si voluisset. Designatus, ut arbitror, nobis est, prout potuimus & descriptus, quis & qualis esset haereticus: & quae vel in quibus eorum dogmata falsaque opinionis habeantur, & quae sit Ecclesiastica observantia puritas.

PAMPHILUS. Et post pauca addidit haec. ORIGENES. Requiescent sane quidam, utrum haesim aut schismata oporteat vocari eos qui Cataphrygae nominantur, observantes falsos Prophetas, & dicentes: ne accedas ad me, quoniam mundus sum. Non enim accipio uxorem: non est sepulchrum patens guttur meum: sed sum Nazareus Dei, non bibens vinum sicut illi.

PAMPHILUS. Iste voces sunt ejus, qui velut haereticus accusatur, & corruptio & perditio animarum, ab iis qui nequaquam ostium ori suo & claustra labiis suis imponere a Propheta didicerunt. Quae quidem non in publico ab eo dicta sunt, id est, in communi Ecclesiae auditorio: ne forte putetur propter audientes favorabilem aptasse sermonem: sed ex illis haec libris protulimus, quos in secreto apud semetipsum nullo arbitro intercedente dictabat. In quo attentius vos illud volo considerare quod dixit, quia si quis horum aliquid commutaverit, haereticus est & peccat in subversione positus: & a semetipso damnatus secundum Apostoli sententiam: cujus & nos autoritati obsequentes eadem sentire debemus.

Cum ergo haec ita se habeant: consequens arbitror interrogare istos ipsos accusatores ejus, si ipsi aliter ea quam ipsius designatum vocabis est, vel de haeretico sentiunt vel de catholico: dicant ipsi quae alia sunt Ecclesiastica dogmata, si haec non sunt quae superius ab illo digesta sunt. Et quidem generaliter haec de omnibus Ecclesiasticis dogmatibus ab illo dicta sunt.

Pergamus autem, & quae specialiter de singulis & maxime de principalibus rebus, de sancta ac beata Trinitate, id est, de Patre & Filio & Spiritu sancto, senserit indicantes, & proferentes in medium ea quae in diversis sui operis voluminibus inserta mandavit: & ut ipsius sententia de maximis & divinis rebus quae fuerit ostendatur: & duobus vel tribus vocum suarum testibus fiat omne verbum defensionis ejus. Indicat ergo quid de Deo Patre & Filio omnipotente senserit, in his ipsis libris qui quam maxime ab accusatoribus celebrantur, id est, *τῶν ἀποστόλων* scribens haec.

ORIGENES. Omni ergo sensu qui corporale aliquid de Deo intelligi suggerit, prout potuimus confutato: dicimus secundum veritatem quidem incomprehensibilem esse Deum atque inestimabilem. Si quid enim illud est quod sentire vel intelligere de Deo poterimus, multis longe modis eum meliorem esse ab eo quod sensimus necesse est credi. Sicut enim si videamus aliquem vix posse scintillam luminis, aut brevissimam lucernae lumen aspiceret: & eum cujus acies oculorum,

plus luminis capere quam supra diximus, non valet, si velimus de claritate & splendore solis edocere: nonne oportebit nos ei dicere: quia omni hoc lumine, quod vides, ineffabiliter & inestimabiliter melior ac praestantior solis est splendor? Ita mens nostra cum intra carnis & sanguinis claustra concluditur, & pro talis materiae participatione hebetior atque obtusior redditur, licet pro comparatione naturae corporeae longe praecellens habeatur: tamen cum ad incorporea nititur, atque eorum intuitionem rimatur, tunc scintilla alicujus lucernae vix obtinet locum.

Quid autem in omnibus intellectualibus, id est, incorporatis tam praestans omnibus, tam ineffabiliter atque inestimabiliter praecellens est quam Deus? cujus utique natura acie humanae mentis intendi atque intueri, quamvis sit purissima mens ac limpidissima, non potest. Verum non videtur absurdum, si ad evidentiorum rei manifestationem, etiam alia utamur similitudine. Interdum oculi nostri ipsam naturam lucis, id est, substantiam solis intueri non possunt: splendorem vero ejus, vel radios fenestris forte, vel quibuslibet luminum brevibus receptaculis infusos, intuentes considerare possumus, fomes ipse ac fons quantus sit corporei luminis. Ita ergo quasi radii quidam sunt naturae Dei, opera divina providentiae & ars universitatis hujus, ad comparationem substantiae ac naturae.

Quia ergo mens nostra ipsum per se Deum sicut est, non potest intueri: ex pulchritudine operum, & decore creaturarum, parentem universitatis intelligit. Non ergo corpus aliquid, aut in corpore esse putandum est Deus: sed intellectualis natura, simplex, nihil omnino in se adjunctionis admittens: uti ne majus aliquid & inferius in se habere credatur: sed ut sit ex omni parte *μὴδὲ*, & ut ita dicam *εἷς* & mens & fons: ex quo initium totius intellectualis naturae vel mentis est. Mens vero ut moveatur vel operetur non indiget loco corporeo neque sensibili magnitudine, vel corporali habitu aut colore: neque ullo alio proorsus indiget horum quae corporis vel propriae materiae sunt: propter quod natura illa simplex & tota mens ut moveatur vel operetur, aliquid dilationis aut cunctationis habere potest nihil: ne per hujusmodi adjunctionem circumscribi vel inhiberi aliquatenus videatur divinae naturae simplicitas: uti ne quod est principium omnium, compositum inveniat ac diversum: & sit multa non unum: quod oportet totius corporeae admixtionis, una sola, ut ita dixerim, *θεῖας* specie consistere.

PAMPHILUS. Haec in libro primo *τῶν ἀποστόλων* scribit de divina natura. In secundo vero, quia idem Deus veteris & novi testamenti sit, hoc modo refert.

ORIGENES. His per ordinem prout potuimus breviter digestis: consequens est secundum id quod ex initio propositum est, confutare etiam eos qui putant alium Deum esse patrem Domini nostri Jesu Christi, praeter illum qui vel Moyse responsa legis dabit: vel Prophetas mittebat, qui est Deus patrum Abraham, Isaac & Jacob. Oportet enim primo in hac nos fidei ratione firmari.

Considerandum ergo est illud, quod frequenter in Evangelicis dicitur: & singulis quibusque Domini & Salvatoris nostri gestis adjungitur: ut impleatur quod dictum est per Prophetam illum & illum, cum manifestum sit Prophetas esse illius Dei qui mundum fecit. Ex ipsa ergo consequentia concluditur: quoniam qui Prophetas misit, quae de Christo credenda erant ipse praedixit: & dubium non est quod haec non alienus quis ab eo, sed pater ipse praedicebat.

Sed & illud quod frequenter exempla de veteri testamento a salvatore proferuntur, vel ab Apostolis ejus: non aliud indicat, nisi quod autoritas veteribus a salvatore & ab ejus discipulis adhibetur.

Sed & illud quod ad benignitatem provocans discipulos suos, Salvator ait: Estote perfecti sicut & pater vester caelestis perfectus est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos: cujus enim exiguae intelligentiae viro evidentissimum non suggerit intellectum, quod alium ad imitandum non proponit discipulis suis Deum, nisi factorem solis & imbrum praebitorem?

PAMPHILUS. Post haec in consequentibus multis argumentis atque exemplis scripturarum confirmans ostendit: quoniam unus atque idem, Deus legis est & Evangelicorum & Prophetarum & Apostolorum, justus & bonus, visibilium & invisibilium ac totius universitatis Dominus. Quomodo ergo senserit de Deo Patre, ex his ejus scriptis quae

supra exposuimus claruit. Videamus nunc qualiter & de Dei Filio disserat.

DE DEITATE FILII DEI Origenes.

PRO viribus ergo nostris perexiguis, considerata ex operum suorum magis quam ex nostri sensus contemplatione divina natura, intuitusque nihilominus creaturis ejus visibilibus: fide quoque invisibilibus contemplatis, quia non omnia vel oculis videre potest humana fragilitas, vel ratione complecti, eo quod omnium rationabilium infirmus & fragilis animal sumus homines. Praestantiora enim sunt ea quae vel in caelo vel super caelos habentur: superest ut harum omnium creaturarum, & Dei medium, id est, mediatorem quaramus: quem Paulus Apostolus primogenitum omnis creaturae pronunciat. Videntes enim ea quae de ejus majestate in Scripturis sanctis referuntur, & intuentes quod imago invisibilis Dei & primogenitus omnis creaturae dicatur, & quod in ipso creata sint omnia, sive quae in caelis, sive quae in terra sunt visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt: & ipse est ante omnes, & omnia illi constant, qui est caput omnium, solum habens caput Deum Patrem, sicut scriptum est: Caput autem Christi Deus: pervidentes etiam quod scriptum est, quoniam nemo novit patrem nisi filius, neque filium quis novit nisi pater. Quis enim potest nosse quae sit sapientia, nisi qui genuit eam? Ant quis ad liquidum quae sit veritas novit, nisi veritatis pater? Quis certe universam verbi naturam atque ipsius Dei, quae ex Deo est investigare potuit, nisi solus Deus apud quem erat verbum?

Unde pro certo habere debemus, quod hoc verbum sive ratio dicenda sit: hanc sapientiam, hanc veritatem, nullus alius nisi pater novit, de quo sicut scriptum est: ne ipsum quidem mundum capere arbitror liberos qui scriberentur de majestate & gloria Filii Dei. Impossibile namque est literis committere quae ad salvatoris gloriam pertinent.

PAMPHILUS. Unum istud testimonium de deitate Filii Dei ex illis libris protulimus: qui maxime ab accusatoribus arguuntur. Dubium autem non est, quod eodem sensu etiam in ceteris sentiat, nec sit sibi ipsi contrarius.

DE EO QUOD NON SIT PATER antequam filius, sed coaeternus sit filius patris. In libro primo de Genesi. Origenes.

NON enim Deus cum prius non esset pater, postea pater esse cepit: velut impeditus aliquibus ex causis, quibus homines mortales impediti solent: ut non statim ex quo sunt, & patres esse possint. Si enim perfectus est Deus semper, nec deest ei virtus qua pater sit, & bonum est esse eum patrem talis filii: quid differat, aut quare hoc bono fraudat se, ut non statim si ita dici potest, ex quo potest esse pater, efficiatur pater? Id ipsum autem etiam de Spiritu sancto dicendum est.

PAMPHILUS. Aliud quoque testimonium de eadem re ex libris Epistolae ad Hebraeos. ORIGENES. Lux autem aeterna quid aliud sentiendum est, quam Deus pater: qui nunquam fuit quando lux quidem esset, splendor vero ei non adesset? Neque enim lux sine splendore suo unquam intelligi potest. Quod si verum est, nunquam est quando filius non fuit. Erat autem, non sicut de aeterna luce diximus: ne duo principia lucis videamur induere: sed sicut ingenita lucis splendor, ipsa illam lucem initium habens ac fontem. Natus quidem ex ipsa: sed non erat quando non erat.

PAMPHILUS. Aliud testimonium de eadem re de libris Epistolae ad Romanos. ORIGENES. Quod promiserat, inquit, per Prophetas suos in Scripturis sanctis de filio suo, qui factus est secundum carnem ex femine David. Factus est quod ante non erat. Manifestum est enim, quia secundum carnem non erat prius: secundum spiritum vero erat ante, & non erat quando non erat.

ITEM IN PRIMO LIBRO *τῶν ἀποστόλων*. Quod extra ullum initium est generatio Filii Dei. Origenes.

SI ergo semel recte receptum est unigenitum Filium Dei, sapientiam ejus esse substantialiter substantem: nescio si ultra jam evagari sensus noster debeat, ad suspicandum ne forte ipsa substantia ejus corporeum aliquid habeat: cum omne quod corporeum est, vel habitu, vel colore, vel magnitudine designetur. Et quis unquam sani sensus, habitum vel colorem, aut mensuram magnitudinem in sapientia requisivit, per quod sapientia est?

Quomodo autem extra hujus sapientiae generationem fuisse aliquando Deum Patrem, vel ad punctum momenti aliquid, potest quis sentire vel credere: qui tamen pium aliquid de Deo intelligere noverit vel sentire? Aut enim non potuisse Deum dicitur generare sapientiam antequam generaret, ut eam quae non erat, postea generet ut esset: aut potuisse quidem: & quod nec dici de Deo quidem fas est, noluisse generare. Quod utrumque & absurdum esse & impium omnibus patet: id est, non ex eo quod non potuit Deus perficere ut posset: & ex eo cum posset, dissimularet generare sapientiam.

Propter quod nos semper novimus Deum Patrem unigeniti filii sui, ex ipso quidem nati, & quod est ab ipso trahentis: sine ullo tamen initio, non solum eo quod aliquibus temporum spatiis distingui potest: sed ne illo quidem quod sola apud semetipsam mens intueri solet: & nudo, ut ita dixerim, intellectu atque animo conspiciari. Extra omne ergo quod vel dici, vel intelligi potest initium, generatam esse credendum est sapientiam.

PAMPHILUS. Aliud testimonium de eisdem. ORIGENES. Qui autem initium dat verbo Dei vel sapientiae Dei, intueri ne magis in ipsum ingenitum patrem impietatem suam jactet: cum eum neget semper patrem fuisse & genuisse verbum: & habuisse sapientiam anterioribus vel temporibus vel saeculis, vel si quid aliud est, quod nominari potest.

PAMPHILUS. Item aliud testimonium de eisdem. ORIGENES. Efficitur ergo virtus altera in sua proprietate subsistens: ut ait sermo scripturae, vapor quidam primae & ingenitae virtutis Dei: hoc quidem quod est inde trahens, non est autem quando non fuerit. Si enim quis voluerit dicere, quasi prius non existerit, sed postea ad subsistentiam venerit: dicat causam quare qui eam substituit pater, ante hoc non fecerit.

Quod si aliquod semel initium dederit, quo vapor iste ex Dei virtute processerit, iterum interrogabimus: Quare non & ante illud quod dixit initium? Et ita semper de anterioribus inquirentes, & verbo interrogationis ascendentes, pervenimus ad illum intellectum: ut quoniam semper & poterat Deus & volebat, nunquam vel decuit, vel aliqua causa existere potuit: ut non bonum hoc quod volebat, semper haberet. Ex quo ostenditur semper fuisse vaporem istum virtutis Dei: nullum habentem initium nisi ipsum Deum. Neque enim decebat aliud ei esse initium, nisi ipsum unde est & nascitur Deum: secundum Apostolum vero dicentem: quia Christus, Dei virtus est: jam non solum vaporem virtutis Dei, sed virtus ex virtute dicenda est.

PAMPHILUS. Item aliud testimonium de eisdem. ORIGENES. Sempiternum vel aeternum proprie dicitur, quod neque initium ut esset habuit, neque cessare unquam potest esse quod est. Hoc autem designatur apud Joannem, cum dicit: quoniam Deus lux est. Splendor autem lucis ejus sapientia sua est: non solum secundum quod lux est, ita ut aeternitatis splendor sit sapientia sua. Quod si integrè intelligatur, manifestè declarat, quia subsistentia filii ab ipso patre descendit, sed non temporaliter, neque ab ullo alio initio, nisi, ut diximus, ab ipso Deo.

PAMPHILUS. Item aliud testimonium de libro primo. ORIGENES. Infandum autem est & illicitum, Deum Patrem, generationem filii sui unigeniti atque substantiae ejus, exequare alicui vel hominum vel aliorum animantium generationi: sed necesse est exceptum aliquid esse & Deo dignum, cujus nulla proorsus comparatio non in rebus solum, sed ne in cogitatione quidem vel sensu inventi potest: ut humana cogitatio possit apprehendere quomodo ingenitus Deus efficitur pater unigeniti filii. Est namque ita aeterna ac sempiterna generatio, sicut splendor generatur ex luce. Non enim per adoptionem spiritus, filius sit extrinsecus: sed natura filius est.

PAMPHILUS. Item de eodem aliud testimonium. **ORIGENES.** Videamus ergo quid sit Salvator noster. Splendor dicitur etiam gloria: id est, splendor luminis eterni. Et certum est, quia splendor ex lumine inseparabiliter generatur: & donec permanet lux, permanet semper & splendor. Salvator ergo noster, qui sapientia est: sapientia autem Dei ipsa est splendor eternae lucis: inseparabiliter & indefinenter generatur ex patre. Sic enim & ipsa de se sapientia per Salomonem dicit: Ante omnes colles generat me. Non enim dixit, Ante omnes colles ingenuit me, sed generat me, in quo significantia sempiternitatis est.

IN LIBRO SECUNDO DE
Spiritu sancto.

TEMPUS est nunc nos pro viribus nostris de Spiritu sancto pauca disserere: quem Dominus & Salvator noster in Evangelio secundum Joannem, paraclitum nominavit. Sicut enim idem ipse Deus, atque idem ipse Christus: ita idem ipse & Spiritus sanctus est, qui & in Prophetis & Apostolis fuit: id est, sive in illis qui ante adventum Christi Deo crediderunt: sive in his qui per Christum confugerunt ad eum. Et duos quidem Deos audivimus aulos esse hereticos dicere, & duos Christos: duos autem Spiritus sanctos nunquam audivimus ab aliquo praedicari.

QUOD EADEM SIT INCONVERTIBILITAS
Spiritus sancti, quae & Patris & Filii.
De libro primo $\pi\epsilon\pi\iota\ \delta\epsilon\ \rho\iota\chi\omega\tau$.

NULLA ergo natura est secundum quod nos sentimus, quae non possit recipere malum: idcirco non confirmamus omnem naturam recepisse malum: id est, malam effectam: sed sicut est dicere, quia omnis hominis natura recipit, ut possit navigare: non tamen ex eo etiam omnis homo navigavit: & iterum omni homini possibile est discere artem Grammaticam, vel medicinam: non tamen idcirco ostenditur omnis homo vel medicus esse, vel Grammaticus: ita si dicimus nullam esse naturam, quae non possit recipere malum, non tamen continuo recepisse etiam malum designatur: & rursum nulla creatura est, quae non recipiat bonum; nec tamen idcirco omnis natura probatur recepisse quod bonum est.

PAMPHILUS. Et post pauca addidit. **ORIGENES.** Nulla ergo natura est, quae non recipiat malum: excepta natura Dei, quae fons omnium est. Et Christus sapientia est: & sapientia utique recipere stultitiam non potest. Et iustitia est, iustitia autem nunquam profecto iniustitiam capiet. Et verbum est vel ratio, quae utique irrationalis effici non valet. Sed & lux est, & lucem certum est quod tenebrae non comprehendunt.

Similiter autem & natura Spiritus sancti, quae sancta est, non recipit pollutionem. Naturaliter enim vel substantialiter sancta est. Si qua autem alia natura sancta est, ex assumptione hac vel inspiratione Spiritus sancti habet ut sanctificetur: non ex sua natura hoc possidens, sed accidens: propter quod & decidere potest quod accidit. Ita & iustitiam accidentem quis habere potest, unde & decidere eam possibile est. Sed & sapientiam quis accidentem nihilominus habet, quamvis in nostra potestate sit positum & studio nostro, & vitae merito si sapientiae operam demus, effici sapientes: & si semper id studii geramus, semper sapientiae participemus: & id nobis vel plus, vel minus accidat, vel pro vitae merito, vel pro studii quantitate.

QUOD AQUALIS SIT TRINITAS,
& quod Spiritus non sit creatura.
De libro primo $\pi\epsilon\pi\iota\ \delta\epsilon\ \rho\iota\chi\omega\tau$.

DE Spiritu sancto quia est, multae nos scripturae docuerunt: sicut David in quinquagesimo psalmo dicit: Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Et in Daniele dicitur: Spiritus sanctus qui est in te. In novo vero testamento abundantibus testimoniis edocemur, cum Spiritus sanctus super Christum descendisse perferatur, & cum ipse Dominus insufflavisset in Apostolos post resurrectionem, dicens: Ac-

cipite Spiritum sanctum. Et ad Mariam dicitur ab angelo: Spiritus sanctus superveniet in te. Paulus vero docet, quia nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto. Et in Actibus Apostolorum per impositionem manuum apostolicarum Spiritus sanctus dabatur in baptismo.

Ex quibus omnibus discimus tantae & auctoritatis & dignitatis substantiam Spiritus sancti: ut salutare baptismum non aliter nisi excellentissimae omnium trinitatis auctoritate, id est, Patris & Filii & Spiritus sancti cognominacione compleatur, & innato Deo Patri, & unigenito ejus Filio, nomen quoque Spiritus sancti copuletur.

Quis ergo non obstupescat quanta majestas sit Spiritus sancti, cum cum qui dixerit verbum in filium hominis, audiat veniam sperare posse: eum vero qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, veniam non habere, neque in praesenti saeculo, neque in alio futuro.

PAMPHILUS. Et post pauca adjecit. **ORIGENES.** Veruntamen usque ad praesens nullum sermonem in Scripturis sanctis invenire posuimus, per quem Spiritus sanctus factura esse vel creatura diceretur.

PAMPHILUS. Et inferis compluribus testimoniis de virtute Spiritus sancti: post aliquanta etiam haec adjecit. **ORIGENES.** Si revelante filio cognoscit patrem Spiritus sanctus: ergo ex ignorantia ad scientiam venit: quod utique & impium pariter & stultum est, Spiritum sanctum confiteri, & ignorantiam ei ascribere. Non enim cum aliud aliquid esset antea quam Spiritus sanctus, per profectum venit in hoc, ut esset Spiritus sanctus: ut quis audeat dicere, quia tunc quidem cum nondum esset Spiritus sanctus, ignorabat patrem: postea vero quam recepit scientiam, etiam Spiritus sanctus effectus est. Quod si esset, nunquam utique in unitate trinitatis, id est, Dei Patris inconvertibilis, & filii ejus etiam ipse Spiritus Sanctus haberetur: nisi quia & ipse semper erat Spiritus sanctus.

PAMPHILUS. Et post pauca adjecit. **ORIGENES.** Rectum tamen videtur inquirere quid causa sit, quod qui regeneratur per Deum in salutem, opus habet & Patre & Filio & Spiritu sancto: non percepturus salutem, nisi sit integra trinitas: nec possibile est participem fieri Patris & Filii sine Spiritu sancto. De quibus discutientes, sine dubio necessarium erit: ut operationem specialem Spiritus sancti, specialem Patris ac Filii describamus.

Arbitror ergo operationem quidem esse patris & filii, tam in sanctis quam in peccatoribus, irrationabilibus hominibus & in mutis animalibus: sed & in his quae ex anima sunt, & in omnibus omnino quae sunt: operationem vero Spiritus sancti nequaquam proflus incidere, vel in ea quae ex anima sunt, vel in ea quae animata quidem, sed muta sunt. Sed ne in illis quidem inveniri qui rationabiles quidem sunt: sed in malitia positi, nec omnino ad meliora conversi. In illis autem solis arbitror opus Spiritus sancti, qui jam se ad meliora convertunt, & per vias Jesu Christi incedunt: id est, qui sunt in novis actibus, & in Deo permanent.

Quoniam autem operatio patris & filii est, & in sanctis & in peccatoribus, manifestatur ex eo quod omnes rationabiles sunt verbi: id est, rationis participes sunt, & per hoc velut semina quaedam insita sibi gerunt sapientiae & iustitiae, quod est Christus. Sed & hoc ipsum quod est & permanet omnis creatura, & operatio est Dei Patris, qui dixit: Ego sum qui sum, quae pervenit super omnes. Ipse est enim qui solem suum orti jubet super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.

PAMPHILUS. Et post multam de Patre & Filio per scripturarum exempla assertionem, addidit hanc.

ORIGENES. Spiritus vero sancti participationem a sanctis tantummodo haberi invenimus, propter quod dicitur: Nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto. Et vix aliquando ipsi Apostoli digni habentur audire, Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos. Propter quod consequens esse puto, quia qui peccaverit in filium hominis, venia dignus est, pro eo quod is qui verbi vel rationis est particeps si desinat rationabiliter vivere, videtur in ignorantiam vel stultitiam decidisse, & propter hoc veniam promereri: qui autem jam dignus habitus est sancti Spiritus participatione, & retro fuerit conversus, hic reipso & opere blasphemasse dicitur in Spiritum sanctum.

QUOD SICUT PATER NOVIT
initia omnium quae sunt & fines, sic &
Filius, sic & Spiritus sanctus sciat.

PAULUS Apostolus per Spiritum sanctum, qui perscrutatur etiam profunda Dei, altitudinem divitiarum sapientiae ac scientiae Dei scrutans: nec tamen ad finem, ut ita dixerim, ad intimam cognitionem praevalens pervenire: desperatione rei & stupore proclamavit, & dicit: O altitudo divitiarum sapientiae & scientiae Dei. Et quod desperatione perfectae comprehensionis haec exclamaverit: audi ipsum dicentem: Quam incomprehensibilia sunt judicia Dei, & quam ininvestigabiles viae ejus? Non enim dixit difficile posse scrutari, sed omnino non posse judicia Dei: nec dixit difficile investigari posse & vias ejus, sed non posse investigari. Quantumque enim quis scrutando promoveat, & studio interiori proficiat, gratia quoque Dei adjutus, sensuque illuminatus ad perfectum finem eorum quae requiruntur pervenire non poterit: nec omnis mens quae creata est, possibile habet ullo genere comprehendere: sed cum invenerit aliquantum ex his quae quaeruntur, iterum videt alia quae quaerenda sunt. Quod si & ad ipsa pervenerit, multo iterum plura ex illis quae quaeri debeant pervidebit.

Propter quod sapientissimus Salomon naturam rerum per sapientiam contuens ait: Dixi, sapiens efficiar, & ipsa sapientia longe facta est a me, longe plus quam erat: & altitudinem profundam quae invenit: Sed & Isaias sciens rerum initia a natura mortali inveniri non posse: sed ne ab his quidem naturis quae quamvis diviniore sunt, quam humana est: facta tamen & ipsae sunt vel creatae. Sciens ergo quod a nullo harum neque initium, neque finis inveniri potest, ait: Priora quae fuerunt dicite, & sciemus quia dii estis: vel novissima quae sunt annunciate, & tunc videbimus quod dii estis.

Nam & Hebraeus doctor tradebat pro eo quod initia omnium vel finis non possent ab ullo comprehendi, nisi tantummodo a Domino Jesu Christo, & a Spiritu sancto: idcirco aiebat per figuram visionis Isaiam dixisse duos Seraphim solos esse: qui duabus quidem alis operiunt faciem Dei, duabus vero pedes, & duabus volare eos: & clamantes adinvicem sibi dicere: Sanctus, sanctus, factus, Dominus Deus Sabaoth: plena est terra universa gloria tua. Quod ergo sola Seraphim utraque alas suas habent in faciem Dei & in pedibus ejus: audendum est pronuntiare, quod neque exercitus sanctorum angelorum, neque sancta sedes, neque dominationes, neque principatus, neque potestates scire possunt integrè initium omnium & finem universitatis.

Sed intelligendum est sanctos istos quos numeravimus, spiritus & virtutes, proximas quidem esse ipsis initiis: & attingere tantum, quantum consequi non valent reliqui. Veruntamen quantumcumque illud est, quod revelante Filio Dei ac Spiritu sancto didicerint istae virtutes, quae plurima quidem allequi poterunt, & multo plura priores inferioribus: omnia tamen comprehendere impossibile eis est, quia scriptum est: Quamplurima ex operibus Dei in secretis sunt. Unde & optabile est, ut pro viribus se unusquisque extendat semper ad ea quae priora sunt, ea quae retro sunt obliviscens: tam ad opera meliora quam etiam ad sensum intellectumque puriorem, per Jesum Christum Salvatorem nostrum: cui est honor & gloria in saecula saeculorum: Amen.

DE INCARNATIONE VERBI DEI
Origenes.

IN omni orbe terrarum, in omni Graecia atque exteris nationibus, innumerati sunt & immensi, qui relictis patriis legibus, & his quos putabant Deos, vel observantia Moyse legis, in discipulatum se Christi cultumque tradiderunt: & hoc non sine ingenti odio eorum qui simulacra venerantur: ita ut ab his frequenter & cruciatibus affligantur, nonnunquam etiam agantur in mortem. Amplectuntur tamen, & cum omni affectu custodiunt doctrinae Christi sermonem.

Et est videre quomodo brevi tempore ipsa religio creverit, penes multorum mortibusque proficiens: sed & bonorum direptionibus, atque omni ab his afflictionum genere tolerato. Et eo maxime mirum est, quod ne doctores quidem ipsi, vel satis idonei sunt, vel satis plures. Praedicatur tamen

sermo iste in omni orbe terrarum: ita ut Graeci ac barbari, sapientes & insipientes, religionem Christi sive Christi doctrinam suscipiant.

Ex quo dubium non est, non haec humanis viribus aut operibus agi: ut cum omni potestate ac persuasione sermo Jesu Christi, apud omnium mentes atque animos invalescat. Nam & praedicta esse ab eo haec ipsa, & divinis ab eo responsis confirmata, manifestum est, cum dicit: Quia ante praedes & iudices adducemini propter nomen meum in testimonium illis & gentibus. Et iterum: Multi mihi dicent in illa die, Domine Domine: nonne in nomine tuo manducavimus & bibimus, & in nomine tuo demonia ejecimus? Et dicam illis: Discedite a me operarii iniquitatis, nunquam cognovi vos. Quae si ita quidem dicta ab eo fuissent, nec ad finem tamen ea quae praedicta sunt pervenissent: fortassis minus esse vera viderentur, nec habere aliquid auctoritatis. Nunc vero cum jam in effectum res quae fuerant ab ipso praedicta perveniant: cum tanta autem potestate atque auctoritate praedicta sint: manifestissime declaratur Deum verè esse, qui homo factus, salutaria praeccepta humilibus tradidit.

Quid vero inde dicendum est, quod Prophetae de ipso ante praedixerunt, non cessaturos principes ex Juda, neque duces de saeculis ejus, usquequo veniat ille, cui repositum est regnum scilicet, & usquequo veniat expectatio gentium? Manifestissime enim ex ipsa historia apparet, & his quae hodie pervidentur: quia ex temporibus Christi ultra reges apud Judaeos non extiterunt.

Sed & omnes ambitiones illae Judaicae, in quibus jactantiae quam plurimum gerebant, & in quibus gloriabantur: id est vel de Templi decore, vel de altaris insignibus: atque omnibus illis sacerdotalibus infulis, indumentisque pontificum, simul universa destructa sunt. Completa est enim propheta, quae dixit: Per dies multos sedebunt filii Israel sine rege & sine principe: nec est sacrificium, neque altare, neque sacerdotium. Ex quo utique subversum est templum, nec hostiae offeruntur, nec altare invenitur, nec sacerdotium constat: certissimum est decessisse principes ex Juda, sicut scriptum est, & duces ex saeculis ejus usquequo veniat ille cui repositum est. Constat ergo quia venit ille cui repositum est. Quod manifestè videtur impletum de multitudi- ne eorum, qui per Christum Deo ex diversis gentibus crediderunt.

Sed & in Deuteronomii cantico per Prophetiam designatur, pro peccatis prioris populi futura esse ejectio infensae gentis, non alia utique quam haec quae per Christum facta est. Sic enim ait: Exacerbaverunt me in simulacris suis: & ego in zelo concitabo eos. Est ergo satis evidenter agnoscere, quemadmodum Hebraei qui Deum exacerbasse dicuntur in his qui non sunt dii, & irritasse eum in simulacris suis: irritati sunt & ipsi in zelotypiam, per gentem insipientem, quam Deus elegit per adventum Christi Jesu & discipulos ejus. Sic enim dicit Apostolus: Videte enim vocationem vestram fratres, quoniam non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, & ea quae non sunt: ut ea quae erant prius, destrueret.

Non ergo gloriatur omnis caro in conspectu Dei. Sed & de his quae in psalmis prophetantur de Christo, quid dicendum est: de eo maxime qui superscribitur canticum pro dilecto? Ubi refertur quia lingua ejus calamus scribe velociter scribentis: decorus specie super filios hominum: quoniam diffusa est gratia in labiis ejus. Hoc est quod brevi tempore transacto, ejus doctrina diffusa est. Anno enim & aliquot mensibus docuit: universus tamen orbis praedicatione ac fide pietatis ejus impletus est. Orta est ergo in diebus ejus iustitiae multitudo permanens usque ad finem: qui finis ablato lunae appellata est: & dominatur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad fines orbis terrae.

Datum est autem & signum domui David. Virgo enim in ventre concepit, & peperit Emmanuel: quod interpretatur nobiscum Deus: & impletum est quod ait ipse Propheta: nobiscum Deus, scitote gentes & viciniam. Victi enim sumus nos, & superati ex gentibus, & velut exuviae ejus existimus, qui ejus gratia nostra colla subjecimus.

Sed & locus nativitatis ejus praedictus est in Michae Propheta dicente: Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in ducibus Juda: ex te enim exiit dux, qui regat populum meum Israel. Sed & septimanarum annorum impleta